

¶ ¶ ¶

VIRIS Pl. Reverendis, Clarissimis, Reverendis, Venerabilibus  
& Humanissimis, Sacro Ministerio, suis donis gradibusque in  
inclita hac Dioecesi Aboensi, dextre fungentibus,  
Pacem & salutem sempiternam!




Istitur hic vobis, Fratres in CHRISTO conjunctissimi,  
Disputationum Synodalium per XLV. annos, apud nos  
habitarum, coronis elegantissima; nullius extra se in-  
diga commendationis: Seriem itaq; illarum, in GRATIÆ  
DIVINÆ gloriam, recensabo. B. Episcopus Doct. Jo.  
ELAI TERSERUS, methodum eligens B. Haffenrefferi, Anno 1660. d. 16.  
Et 17. Jan. Ven. Clero exhibuit Disputationes duas, de DEO unam, alte-  
ram de S. S. TRINITATE. Cumque PARENTS MEUS, pia memorie,  
A. 1664. Generalis tunc per Livoniam Superintendentis, Rigæ mense  
Junio, integrum dicti auctoris librum primum, Synodalibus exercitiis  
tractasset, (in quibus me tyronem sacrorum studiorum, Et respondentem  
in loco de DEO fecerat:) idcirco Episcopale per amplissimam hanc Dio-  
cesin aggrediens munus, ad librum secundum de Angelis exercitatio-  
nem conscripsit, in auspicio Synodica, d. 6. Et 7. Septemb. A. 1665. Exorsus  
deinde librum tertium, una Disputatione in conventu sacro d. 16. Et 17.  
Januarii 1667. articulos primi status de Homine integro, exposuit.  
A. v. 1669. d. 16. Et 18. Januarii eodem scriptio modo, statum pec-  
cati, solenni cœtui monstravit. Peculiariter autem Disquisitione locum de  
Libero arbitrio, repetiit coram Ven. Clero Bothniensi, Wasæ d. 4. Et  
Ublæ d. 15. Febr. A. 1670. Progressus ad statum hominis tertium, in  
Synodum anniversariam 1672. d. 19. Et 20 Junii, Theses edidit de Præ-  
destinatione fidelium ad Vit. Ætern. & reprobatione infidelium.  
Sequentem autem de Salvatore nostro JESU CHRISTO articulum,  
pia Dissertatione Fratribus A. 1675. d. 16. Et 18. Jan. congregatis pro-  
posit. Illo autem de Fide salvifica, reservato Logis de Pœnitentia Et Ju-  
stificatione, transitum fecit ad locam de Lege & Evangelio, quem  
in Synodis Bothniensis A. 1680. Wasæ d. 9. Et Ublæ d. 19. Januarii

\*

decla-

declaravit. *Q*uestiones sive *Theses ad locos Theologicos* jam recensitos,  
 a B. PATRE. scriptas, præsidendo publicè in sacris illis solennitatibus  
 propugnarunt Viri docti, PRÆPOSITI, PASTORES, SCHOLARUM &  
 RECTORES, viciis suis a Summè Reverendo CONSISTORIO desig-  
 nati: Quos tunc officiorum dignitatis conspicuos, & nunc post fata, qui-  
 bus fere omnes beatè concessere, meritorum laus celebres reddiderunt.  
 Non licuit postmodum B. PARENTI propter freqvenciu Regni Comitia  
 A. 1680, 1683. & 1686. prolixaque Ejus ad eadem itinera; ac dein inter  
 illos, qui statuta Ecclesiastica in Ordinantiam sacram colligerent, ex  
 voluntate REGIA Holmie constituto, laborem istum continuare; Ilum  
 itaq; suscepit & in sacram panegyrin d. 16. & 17. Jan. 1688. institutam,  
 emisit solidissimam Disputationem de Pœnitentia. B. Doct. PETRUS  
 LAURBECKIUS, Poëeos tunc Professor & Pastor Lundoënsis, Wiburg-  
 ensium, post Theologicas hic ordine & magna cum laude, gestas Pro-  
 fessiones, Episcopus meritissimus. Praetulit id ipsum dexterrime in lo-  
 cum de Ecclesia A. 1690. 16. & 17. Januarii, Max. Rev. Doct. JOH.  
 FLACHSENIUS S. S. Theologie Professor primarius, Mathematum  
 illo tempore Professor & Pastor Pikenensis. Sub ipso Synodi tunc celebratæ  
 fine, die videlicet 20. Januarii vitam quoq; inter nos finivit, B. PARENS,  
 ad sanctorum in cœlis consortium receptus. Ista deinde laborum Syno-  
 dalium pars, in ampliorem Cleri Diaconiani honorem, derivata est ad  
 PRÆPOSITOS & PASTORES: quorum quoque plurimi pro insigni sua  
 in Theologicis Controversiis peritia, & desiderio inserviendi usibus  
 Ecclesia, suis curis & sumtibus accuratas ediderunt Exercitationes,  
 illasque in sacris Ordinis nostri ad sedem Cathedralem conventibus,  
 præsidio solenni defenderunt. Viri nempe Plurimum Reverendi,  
 Clarissimi & Doctissimi: Mag. CHRISTIERNUS WALSTENIUS, Pastor  
 & Prepositus Webmoensis. d. 5. & 7. Septemb. 1691. de Ministerio Ec-  
 clesiastico. Mag. ISAACUS PIHLMAN, nunc Professor Eloquentia, tunc  
 Rector Schola Cathedralis & Pastor Malchoensis, d. 16. & 17. Januarii  
 1693. de Sacramentis in genere, & in specie de duobus Vet. Test.  
 & priori N. T. Sacramento, Baptismo. B. Mag. JACOBUS LUND,  
 Pastor

Pastor in Bierno d. 22. & 23 Junii 1694. de Sacra Coena. Mag. ERICUS  
 STENBERGIUS Pastor in Haliko d. 16. & 17. Jan. 1696. de Justificati-  
 one per fidem. Dn. HENRICUS PAULINUS, Pastor in Cumo, edidit  
 Disputationem de Cruce piorum & DEI invocatione, illo vero  
 per sonicas causas absente, Presidis partes peregit, d. 15. & 16. Januarii  
 1697. B. Doct. JOHANNES RUNGJUS, post honorifica in Schola Cath-  
 edrali & Regia Academia munia, Narvensium Superintendens desideratis-  
 simus. B. Mag. JOHANNES FORSENIUS, Pastor & Praepositus Lojoensis,  
 d. 9. & 10. Septemb. 1698. de Magistratu Politico. Mag. HAQVINUS  
 PIHLMAN, Pastor & Praepositus Wirmoensis d. 2. & 3. Martii 1700.  
 de Conjugio. Ac cum bellum Polono - Ruthenicum jam tum exarsit,  
 machinatione Pape Romani accensum, Mag. ELIAS WOIVALENIUS,  
 Pastor & Praepositus Sexmekiensis, d. 6. & 7. Septemb. 1701. de Anti-  
 christo Magno. Dn. ABRAHAMUS JUSLENIUS, Pastor & Praepositus  
 Someroensis, nunc Lojoensis d. 5. & 7. Septemb. 1703. de Morte, arti-  
 culisque connexis. Mag. ANDREAS BERGIUS, Pastor & Praepositus  
 Tæffalensis d. 20. & 21. Jan. 1705. de Resurrectione mortuorum  
 universalis, & extremo Judicio. Quidam vero is est Ecclesiarum  
 in hac Diœcesi situs, ut illarum omnium Pastores & Ministri, haud com-  
 mode ad Cathedram commeare possint: indultu SACRÆ REGIÆ  
 MAJESTATIS indicti erant conventus Synodales, & exercitiis sacris,  
 maximè Disputationibus hic ab eo proximè tunc antegressis annis, denuo  
 ventilatis, facti celebres, in Bothnia Orientali: Videlicet UHLOÆ A. 1691.  
 d. 22. & 23. Jan. A. 1694. d. 12. 13. & 15. Jan. A. 1698. d. 14. 15.  
 & 17. Jan. A. 1702. d. 4. 5. 6. Feb. WASÆV. A. 1691. d. 19. & 20.  
 Febr. A. 1694. d. 17. 19. 20. Febr. A. 1698. d. 19. 21. 22. Febr.  
 A. 1702. d. 19. 20. 21. Febr. Et cum ex insulis Alandia, Synodis nostris  
 hybernis aliquando non interesse licuit gregem Domini ibi pascientibus,  
 apud illos itidem sub visitationis cursu Synodalia habita sunt exerci-  
 tia, scilicet, in Jornala prima vice d. 10. 11. Febr. A. 1692. & altera d. 25.  
 Junii A. 1697. Neque illud omissendum, quod simul cum Viris Claris-  
 simis jam occasione Disputationum laudatis, insignis numerus VIRORUM  
 de Ec-



de Ecclesia Christi optimè meritorum & nunc quoque merentium, con-  
cionando, opponendo, perorando, congressus istos suo tempore ac  
loco, per novem hec lustra efficerit splendidos ac summè utiles. Post-  
quam sic brevi narratione in mentem Vobis, Fratres honorandi,  
revoquaverim opera nostra Synodica, non potest non valde vobis esse ju-  
cundum, quod tractationi articulorum fidei tam egregium Colopho-  
num addiderit Reverendus & Clarissimus Mag. ERICUS CAJANUS,  
Cronobyensem Pastor vigilansissimus, de Inferno & Vita Æterna.  
Promta fuit hæc Ejus ad desiderium nostrum opera, & quia arctum  
oppido illi fuit scriptoris tempus, eo evidenter est bac exercitatio solide  
in eo doctrinæ Theologica testimonium. Cogitent ad ista recensia, Ordine  
Sacro infensi & illi, ex unius alteriusve detestabili lapsu, ignominie in-  
urenda cupidi, quam multò plures sint, quantusque eorum numerus,  
quos Divinus Spiritus in actibus jam commemoratis, aliisque DEO  
gratis, ac generi humano salutaribus, illuminavit, & quotidie instruit  
ac confortat. Celebremus immensam DEI in nos misericordiam: Evan-  
gelii puritas contra tot heres & veritatis veraque pietatis hostes, inter  
nos servata, Pax in furialibus motibus totius fere orbis Christiani, hisce  
locis data, Victoria inter tot belli onera, pericula, damna, cœlitus con-  
cessa, excitent corda nostra in pia & fiducie plena ad DEUM suspiria,  
velie benignissime Verbum suum porro nobis largiri, ejusque ministerium  
äneum pro nobis amissum præstare. INVICTISSIMUM MONAR-  
CHAM REGEM nostrum Clementissimum, omnipotenter custodire,  
pacata & frugifera reddere tempora, utque in fide & sancto Nominis  
Divini timore, per gratiam Domini nostri JESU CHRISTI, ad  
æternam vitam contendere valeamus, SPIRITU SUO SANCTO  
nos juvare! Dab. Aboæ die 10. Novemb. 1705.

R. & Ven. V. V. D.-tibus

addictissimus conservus

JO. GEZELIUS. f.F.